Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2175

Quelle:
Copyright:

ad primum verbum — multi ex eis implacabiliter turbati ſunt Et vnus pre multis ac inter alios magnus Reuerendusque magiſter (Joh. de Falkenberga O. P.?) *Coram hoc ſacro Conſtan. concilio hac occaſione vt a multis creditur ſermonem aſſumpſit. In quo truncata diuini apoſtoli pauli verba recepit pro Themate* a dextris et a ſiniſtris, *truncauit nimirum et tacuit* per arma iuſticie. *Juſte quidem quia non per arma iuſticie ſed per verba iniurie a dextris et a ſiniſtris Statum eccleſiaſticorum prelatorum inuaſit* &c. Contra hunc igitur et hujusmodi graviter inſurgens inter alia dictum etiam cujusdam Religioſi in Concilio ſparſum affert: *Quod contra clerum eccleſiaſticum tale ſemen in populo ſeminaret, quod in eternum illud eradicare non valerent;* et finit: *In qua litera* (Univ. Pariſ.) *vltimata eſt petitio ut etiam error Johannis parvi refutatus pariſius per 140 doctores baccalarios et licenciatos in theologia condempnetur eciam conſtancie.*

XXVI. *fol.* 295. ſine titulo *Sermo de omnibus Sanctis* in illud: *Signum magnum apparuit in celo* &c. Initium: *Hec mulier que in verbis propoſitis tamquam ſignum magnum in celo apparuiſſe dicitur et celeſtibus inſignijs ornata deſcribitur — ſanctam eccleſiam triumphantem congrue ſignat* &c. Ex decurſu liquet Sermonem hunc in Synodo *Conſtantiae* habitum fuiſſe, cumque hic inter duos *Petri de Alliaco* Sermones medius ſit, quidni illum huic eidem *Petro* tribuamus, quamvis *binis* de eadem Celebritate in edit. *Argentin.* ſupracitata non adnumeretur. Confirmat id *Cod.* DCCCCLXIX.

XXVII. *fol.* 300. p. 2. *Sermo*, ut ex calce praeoccupo, *domini petri cameracenſ. qui eſt factus ad honorem ſancti lodowici filij regis ſicilie* (Caroli II. Claudi) *qui fuit frater minorum et pontifex eccleſie.* Incipit: *Euge ſerue bone* &c. *Ad laudem ſancti et beatiſſimi confeſſoris atque pontificis lodowici* &c. et habetur in edit. *Argentin.* ſuprac. ubi dicitur *factus in concilio generali habito conſtantie Anno domini. M. CCCCXVII.*

XXVIII. *fol.* 305. p. 2. Notanda quaedam *de Dilectione Dei et Proximi*, pro ſacris dictionibus, in quibus citatur *M. Henricus de Haſſia.*

XXIX. *fol.* 307. Notanda ſimilia de ſacra Caena, ubi agitur *de Praeparatione, de quadruplici modo manducandi, de modo ſe preparandi et diſponendi digne ad communionem* &c. Initium: *Bernhardus in ſermone de corpore chriſti dicit, quod homo cum in honore eſſet* &c.

XXX. *fol.* 235. Similia de doloribus et gaudiis B. V. Mariae. In illud: *Stabat autem iuxta crucem* &c. Et: *Gaudere autem oportebat, quia hic filius mortuus erat et reuixit.* &c.

DLXXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 432 XV. Folior. 235. 4. currente calamo